



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

VIII. Autor Sacramentorum an solus sit Christus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei.
Luc. 13. *Nisi Penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

II. Eucharistia, Confirmatio, Extrema Unctio, & Matrimonium ipsi Ecclesie necessaria sunt necessitate mediæ ad bene esse; non simpliciter.

III. S. Concilii Tridentini Sess. 7. Can. 4. definitio est ista. *Si quis dixerit, 1. Sacramenta nouæ legis, non esse necessaria ad salutem, sed superflua: (vt Anabaptistæ & Zvingliani dicunt:) 2. Et sine eis, aut eorum voto, per Solam Fidem, homines à Deo gratiam iustificationis adipisci: (vt Lutherani & Calvinistæ volunt) 3. Licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

Luthero-Caluinistæ autem negant cætera omnia esse Sacramenta; solum Baptismum, & Coenam afferunt; quia hæc solum præcepta sunt, vt media salutis; Sed Vtilia tantum; vt fidem excitent, nutriant, augeant: Quia repræsentant id oculis, quod Verbum auribus. Ideoque necessaria ad bene esse; nõ simpliciter. Vnde *Apologia Confessionis* a. 13. comparat ea picturæ, ad salutem necessaria; sed solum valdè rudibus.

DICO AD I. Kemnitii. Mendax calumnia est. Nam Concilium damnat hoc: *Solâ fide immediatè salutem accipi: ac proinde Sacramenta non absolutè esse necessaria.* Concilium quoque prærequirit fidem; non excludit: Et non sufficere solum docet; sed Sacramentum esse re, aut voto simpliciter necessarium.

AD II. Caluini. Iam patet. Adde, nos docere, quod iustificet Deus remittens peccata ex Autoritate; Christus itè,

sed & Meritoriè; Verbum Dei verò solum instrumentaliter; at Sacramentum quoque simpliciter & efficienter.

QVÆSTIO VIII.

Aut or Sacramentorum an solus sit Christus?

CALVINVS in *Antid. Concilii Trid. Sess. 7. Can. 1.* Baptismum & Coenam à Christo instituta solo: cætera esse nullas; minus à Christo. LUTHERANVS Kemnitius p. 2. *Exam.* huc citat S. Cyprian. Hugonè, Lombardum.

AUTOR. Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse omnia à IESU Christo instituta: anathema sit:* Idque immediatè à Christo: ceremoniæ omnes cæteræ à Christo mediatè promanant ab autore Ecclesie. 1. Quia in Scriptura, Apostoli vocantur solum *Dispensatores & Ministri mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. 2. Quia etiam Veteris Testamenti Sacramenta à Deo solo erant instituta; à Moyse autem promulgata. 3. Ita Patres: ipseque S. Cyprianus.

Hugo & Lombardus intelligunt promulgationem, non institutionem. *Alex ab Ales,* Confirmationem à Concilio Meldensi post mortem Apostolorum institutam esse: Idemque & Bonauentura, Penitentiam ab Apostolis, non à Christo. ISTA defendi non possunt: ad eò constat contrarium.

QVÆSTIO IX.

Minister Sacramentorum ordinarius an sit quilibet baptizatus?

LUTHERVS libro de Missa priuata: *Ego non dicam, quod Papista dicunt: Nullum Angelorum, nec Mariam ipsam consecrare posse. Sed è contra dico: Si diabolus Veniret. & ego postea resuscitarem eum, volum sic irrepisse in officium pastoris Ecclesie, in spectu hominum vocatum ad predicandum; & publicè in*
E. c. e.